

meridianum ea cupis transferre, Ingredere rabulam ciuitatum e regione loci tui propositi, aut uicinioris, & accipe ibidem horas & minuta, aut minuta tantum, sub titulo temporis, & adde eas horis & minutis coniunctionis, oppositionis, uel quadraturæ, si ibidem A nota reperta fuerit: aut minue, si M nota ibidem reperta fuerit, & habebis tempus coniunctionis, oppositionis, aut quadraturæ cuiuscunq; ad tuum propositum meridianum rectificatum.

Eclipses luminarium, si quæ fiunt in anno,  
præcognoscere. Canon XIII.

**A**N una pluresue eclipses anno quopiam futuræ sint, appropriata quadam picture, prima Ephemeridum pagina, declarat.

An eclipsis fiat circa caput caudamue draconis Lunæ,  
anq; totalis, uel particularis fiat. Et si particularis,  
an pars Septentrionalis, uel Meridionalis eclipsetur sciscitari.  
Canon XIII.



**N** dextra pagina ephemeridum coniunctionem, si Solis: aut oppositionem, si Lunæ eclipsis fuerit animaduerte, & character capitis uel caudæ e directo inter aspectus Solis, & planetarum inter se positus, idem manifestabit. Pictura autem eclipsium ita accommodata est, ut mox intuenti pateat an totalis uel particularis, quantaq; pars eclipsetur. In ea etiam figura partem superiorem Septentrionalem, inferiorem Meridionalem, dextram Occidentalem, sinistram uero Orientalem, astronomicae disciplinae authores nominare consueuerunt.

Tria tempora, principium scilicet, medium & finem,  
totamq; durationem cuiusuis eclipsis  
supputare. Canon XV.



**A**D caput cuiusq; eclipsis, tempus habes mediæ eclipsis in diebus horis atq; minutis ad certum meridianum, super quo calculus ephemeridum institutus est: cuius principium si uelis inquirere, dimidia duratio immediate sub tempore prædicto scripta, ab eclipsis tempore dematur, residuum tempus principij eclipsis ostendet: eadem duratio dimidia, mediæ eclipsis tempori addita, productum finem eiusdem: duplicata uero totius eclipsis durationem, à principio ad finem usq; manifestabit. At si ad alium quempiam Meridianum hæc accommodare uolueris, horas & minuta, aut minuta tantum in tabella insignium ciuitatum e regione tui loci propositi, uel uicinioris sub titulo tempus reperta, tempori mediæ eclipsis adde, si nota A, uel ab eodem minue, si M. nota occurrerit, & habebis tempus mediæ eclipsis pro meridiano proposito rectificatum cum quo operaberis simili modo pro principio, fine, totaq; duratione inquirenda, ut dictum est.

Tabula